



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**Disputationes|| ROBERTI BELLAR-||MINI E SOCIETATE
IESV,|| DE CONTROVERSIIS CHRISTIANAE|| FIDEI,
ADVERSVS HVIVS TEM-||poris Hæreticos,||**

Tribus Tomis comprehensæ.||

DE SVMMO PON=||TIFICE,|| QVINQVE LIRBRIS|| EXPLICATA.||

Bellarmino, Roberto Francesco Romolo <Heiliger>

Ingolstadii, [1599]

VD16 B 1607

V. De decretis morum.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-53860](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-53860)

Accedit, quod etiamsi constaret, Christum imperasse Petro, ut Romæ sedem collocaret, non tamen continuo sequeretur, iussisse ut eam immobiliter ibi collocaret. Quoniam ergo non constat, quomodo Christus iusserit Petro, ut Romæ sedem collocaret; ideo non est de fide, diuino & immutabili præcepto, Romæ sedem esse constitutam; sed tamen, ut diximus, est probabilissimum, & piè credendum. **NE QVE** obstat, quod tempore Antichristi Roma desolanda, & cremanda videatur, ut deducitur ex cap. 17. Apocalyp. Nam hoc non fiet nisi in fine mundi, & præterea tunc etiam summus Pontifex, Romanus Pontifex dicetur, & erit, licet Romæ non habitet; sicut accidit tempore Totilæ Regis Gothorum, ut supra diximus. Adde, quod Augustinus & alij multi non volunt in isto loco Apocalypsis per urbem cremandam intelligi Romam, sed multitudinem impiorum, quæ est ciuitas Diaboli.

CAPVT. V.

De decretis morum.

TERTIA propositio hæc esse potest. *Non solum in decretis fidei errare nõ potest summus Pontifex, sed neq; in præceptis morum, quæ toti Ecclesiæ præscribuntur; & quæ in rebus necessariis ad salutem, vel in iis, quæ per se bona, vel mala sunt, versantur.*

Dicimus **PRIMUM**, nõ posse errare Pontificem in iis præceptis, quæ toti Ecclesiæ præscribuntur; quia, ut supra diximus, in præceptis, & iudiciis particularibus, nõ est absurdum Pontificem errare. Addimus **SECUNDO**, quæ in rebus necessariis ad salutem, vel per se bonis, aut malis versantur; quia non est erroneum dicere, Pontificem in aliis legibus posse errare, nimirum superfluum legem condèdo, vel minus discretam, &c.

Ac ut rem totam exemplis declaremus; Non potest fieri ut Pontifex erret, præcipiendo aliquod vitium, ut vsuram, vel prohibendo virtutem, ut restitutionem: quia hæc sunt per se bona, vel mala, nec potest fieri ut erret præcipiendo aliquid contra salutem, ut Circumcisionem, vel Sabbatum; vel prohibendo

hibendo

hibendo aliquid necessarium ad salutem, ut Baptismum, ut Eucharistiam, ut autem iubeat aliquid quod non est bonum, neque malum ex se, neque contra salutem, sed tamen est inutile, vel sub pœna nimis graui illud præcipiat, non est absurdum dicere, posse fieri; quanquam nõ est subditorum de hac re dubitare, sed simpliciter obedire.

Probatur iam propositio; & P R I M O, quòd non possit Papa errare in præceptis morum ad salutem necessariorum: quia tunc tota Ecclesia grauius læderetur, & erraret in rebus necessariis, quod est contra promissionem Domini. Ioan. 16. *Cum uenerit ille Spiritus ueritatis, docebit uos omnes ueritatem.* Quod intelligitur (ut minimum) de ueritate necessaria ad salutem. S E C U N D O, quia Deus tunc deesset Ecclesie in necessariis; quando quidem præcipit illi, ut sequatur Pontificem, & Pontificem permittit errare in necessariis. At uerè si Deus nulli rei deest in necessariis, quomò minus Ecclesie suæ?

Quòd autem non possit Pontifex errare in moribus peccatis bonis, vel malis, probatur. Nam tunc Ecclesia non posset reuè dici sancta, ut in Symbolo Apostolorum uocatur. Nam sancta dicitur potissimum ob sanctam professionem, ut alibi ostendimus; quia nimirum legem, & professionem sanctam proficitur, quæ nihil docet falsum, nihil præcipit malum. S E C U N D O, quia tunc necessariò erraret etiam circa fidem. Nam fides Catholica docet, omnem uirtutem esse bonam, omne uitium esse malum: si autem Papa erraret præcipiendo uitia, vel prohibendo uirtutes, teneretur Ecclesia credere uitia esse bona, & uirtutes malas, nisi uellet contra conscientiam peccare, teneretur enim in rebus dubiis Ecclesia acquiescere iudicio summi Pontificis, & facere quod ille præcipit, non facere quod ille prohibet, ac ne fortè contra conscientiam agat, teneretur credere bonum esse, quod ille præcipit, malum quod ille prohibet.

